



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 30. Trecensis Episcopus a Petro Martyre reduce seductus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI. tur adversus hunc librum, quem a Bal-
A C. 1561. duino compositum credentes damna-
 runt: Calvinus quoque calamum suum
 adversus eum acuit, cui tamen Bal-
 duinus respondit in quadam præfatione
 Optati operibus præfixa, necnon in alio
 tractatu studiose in legem *de libellis*
famosis edito, in quo se Authorem libri
de Officio pii hominis &c. esse negabat:
 nihilominus Calvinus denuo virulento
 admodum scripto respondit: postquam
 vero Cassiander sese Auctorem fateba-
 tur, non minus alii in eum insurgent,
 imo ipsi etiam Catholici hunc librum
 confutabant, atque inter alios præcipue
 Joannes Hesselius, Bredembachius, &
 Robertus Cenalis. Ceterum Cassian-
 dri consilium a Viris moderationis stu-
 diosis valde probabatur, ac Germaniæ
 Principes censebant, quod præter ipsum
 nullus alius dissipandis dissensionibus
 magis aptus fuisset: verum nec ab his,
 nec ab illis receptus fuerat.

§. XXX.

*Trecensis Episcopus a Petro Martyre
 reduce seductus.*

*Thuan. l. c.
 Camusat. an-
 tig. Tricass.
 San Marth.
 in Gall.
 Christ.*

Soluta itaque colloquio Ministri, qui
 Possiacci erant, honorifice dimitteban-
 tur, ac imprimis Petrus Martyr, cum
 per Trekas domum rediret, Joannem
 Antonium Carraciolum, qui ex Abbate

S. Vi-

S. Victoris Parisiensis ad Tricassinum Sæcul. XVI.
A.C. 1561.
Episcopatum nominatus fuerat, invisit.

Erat hic Præsul eruditione conspicuus, novæ tamen sectæ admodum propensus occulto favore Protestantes prosequeretur, tantumque efficiebat, ut libere citra ullam molestiam suos cœtus haberent; cum autem ei Petrus Martyr animi anxietatem injecisset de vocatione sua, eoquod non Ecclesiæ, ac populi suffragiis electus esset, hinc Protestantium Ecclesiæ Seniores evocabat, rogabatque, ut pie, ac prudenter inquirerent, an eum eligere, ac pro legitimo deinceps Episcopo habere vellent? nec ullo pacto blandirentur, si enim eum minus idoneum ad hanc dignitatem censerent, se libenter loco cessurum agebat: Ergo re inter eos discussa omnium consensu electus, & denuo ad suum Episcopatum nominatus fuit, necnon Calvinii hæresin suæ Diœcesis populo in concionibus propinabat, prius tamen egregium sui erga hæresin studii specimen dabat, cum sese sacrilegis nuptiis pollueret: itaque ceteri Præsules tam nefandi facinoris indignitate commoti, ac tam perversi exempli funestos successus veriti apud Regem querebantur, a quo etiam e sua Diœcesi ejectus Castellum novum ad Ligerim secedere cogebatur, quam ditionem olim Fran-

Hist. Eccles. Tom. XLIV. O ciscus

Sæc. XVI. ciscus I. ejus Patri Joanni Caracciolo
A.C. 1561. Melphitano Principi dono dederat: ubi etiam obiit Joannes Antonius Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

§. XXXI.

Padta Regem inter, & Clerum eidem multa millia numerantem.

Recueil generalis des affaires de Clerge tom. 2 part. I. an. 1636. impr.

Colloquio ad finem vergente Episcopi aliquamdiu adhuc Possiaci hærebant, ut illi, cum Rex summam a Clero promissam sibi numerari vehementer urgeret, de congregandis hisce pecuniis deliberarent: itaque feria tertia die decima quarta Octobris Cardinales, atque Episcopi cum Rege paciscebantur, polliciti, quod intra sexennium Clerus Majestati suæ novem, ut vocant, milliones præter sexcenta librarum millia duodecim solutionibus, quarum quævis quolibet semestri fieret, ita numerare vellent, ut a prima die proximi mensis Januarii initium duceretur, & decimarum exactione, vel alio modo tota summa Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo die ultima Septembris persolveretur: insuper conventum, ut qualibet solutione, quæ quovis semestri fieret, octingenta librarum millia pro reluendis regie Majestatis suæ prædiis, tribut-